

& non deficere: & Apostolus, Sine intermissione orate  
 (quod sanissime sic accipitur, ut nullo die intermittantur  
 certa tempora orandi) isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc  
 iudicentur inter hereticos numerandi. Quamuis nonnul-  
 li eos dicant de purgatione animarum nescio quam  
 phantasticam & ridiculam fabulam narrare, porcā  
 scilicet cum porcellis suis videri exire de ore hominis  
 quando purgatur: & in eum visibili similiter specie  
 ignem, qui non comburat, intrare. His adiungit Epi-  
 phanius Euphemitas, Martyrianos, & Satanianos, &  
 hos omnes cum illis tanquam unam heresin ponit. Di-  
 cuntur Euchitæ opinari Monachis non licere susten-  
 tandæ vitæ suæ causa aliquid operari: atque ita se ipsos  
 Monachos profiteri, ut omnino operibus vacent. Vt  
 que ad istos ergo de heresibus opus suum perduxit su-  
 pradictus episcopus Cyprius, apud Græcos inter magnos  
 habitus, & à multis in catholica fidei sanitate lauda-  
 tus. Cuius ego in commemorandis hereticis non mo-  
 dum, sed ordinem sum sequutus. Nam & aliqua ex  
 alijs posui, quæ ipse non posuit: & aliqua non posui,  
 quæ ipse posuit. Itaque alia latius quàm ipse, alia bre-  
 vius explicavi, parèmq; nonnullis exhibui breuitatè,  
 omnia moderans, sicut intentionis meæ ratio postulabat.  
 Proinde ille de octoginta heresibus, separatis viginti,  
 quas ante Domini aduentum extitisse, sicut ei visum est,  
 computavit: reliquas post Domini ascensum natas sexa-  
 ginta brevissimis libris quinque comprehēdit, atque om-  
 nes in sex libros totius eiusdem operis fecit concludi. E-  
 go autem qui secundum petitionem tuam eas hereses  
 memorare institui, quæ post glorificationem Christi se  
 aduersus doctrinā Christi, etiam sub velamine Christia-  
 ni nominis extulerūt, quinquaginta septem ex Epipha-  
 niy ipsius opere in meum trāstuli, duas in unum referens,

vbi